

*Unde oriatur certitudo scientiæ, &c. 71*

est, prout determinata. Et rursus si hæc veritas suam illam habet determinationem independentem à decretis Divinis, ut etiam *secundo* probatum fuit, erit pariter necesse talem veritatem esse in se ipsa & ex se ipsa cognoscibilem, prout sic independentem: quandoquidem hujus veritatis modus quidam est independentia illa: omnis autem veritas, ut mox aiebam, est cognoscibilis eo modo, quo est veritas.

Tum quis neget veritatem omnem cognoscibilem, esse à Deo cognitam, & à Deo pariter esse cognitum omnem cognoscibilem talis veritatis modum? Nam quid hoc aliud esset, quàm Divinæ intelligentiæ metas præfigere, admittendo multa esse cognoscibilia ipsi incognita? imò intra metas brevissimas coarctare, attentâ talium futurorum cognoscibilium & modorum ad illa futura pertinentium multitudine, quæ ad infinitam prope accedit. De cætero autem cum intelligentiæ Divinæ perspicaciam talem esse necesse sit, ut nulla major cogitari possit, quod omnibus Divinis perfectionibus necesse est omnem perfectionem in ipsarum genere cogitabilem superare, ne vel una cogitari potest veritas, quæ non sit cum suis modis omnibus per intelligentiæ Divinæ perspicaciam facillimè apprehensa, ac plenissimè comprehensa. Quare jam quoque satis manifestum est illud *tertium*, quod adhuc eram probaturus, scilicet veritatem determinatam propositionis alterius è duabus de futuro contingenti fuisse semper cognoscibilem, & à Deo semper cognitam antecedenter ad quæcunque ipsius decreta posita circa illam.

Tandem his tribus seorsim probatis, patet quod assertum est. Si enim quæcunque contingenter futura sunt, nihilominus determinatè futura sunt propter illam contradictionis vim, quæ sine exigentia illius decreti per se satis determinat veritatem alterius è duabus propositionibus contradictoriis de futuro contingentibus: & rursus si Deus videt veritatem illam determinatam, habet utique in illa determinata veritate cognita certam futurorum omnium contingentium præscientiam. Et hoc quidem est systema, quod communius inter Theologos extra Thomisticas scholas recipitur, ad explicandam certissimam illam præscientiam, quam Deus habet de futuris contingentibus absolutis. Veruntamen ad hujus systematis constitutionem integram, adhuc multa desiderantur, quæ spectant ad præscientiam aliam Divinam de futuris contingentibus conditionatis, & in sequentibus articulis tractabuntur. Ac tum tota isti systemati sua lux

LXV.

Atque ita  
modus ille  
determina-  
tionis conve-  
nientis alteri  
contradictoria  
fuit semper  
obvis  
cognitioni  
Divinæ.

LXVI.

Stante præ-  
missa deter-  
minatione,  
stante cogni-  
tione illius,  
patet certitudo  
præscientiæ  
Divinæ de  
futuris  
absolutis li-  
beris.